



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Candela Evangelica**

**Landsberg, Johannes Justus**

**[Köln], 1526**

**VD16 J 1187**

Io. Ivstvs Lectori Salvtem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34415**



IO. IVSTVS LECTORI  
SALVTEM.



**H**ABES candide lector candelam hie euangelicam, quem titulum, cur sibi liber hic uindicauerit, si miraris, in mentem tibi ueniat, quod saluator noster olim monuerit, nos dum lucē haberemus ambulare, in lucem credere, & filij lucis esse. Itaq; cum hac tempestate uarijs Luteranorum simus te nebris circumfusi, & gradientibus tum laquei, tum precipitia nobis permulta opponantur, nec desinant heretici, quibus possunt & uiribus & fraudibus, in suas errorum obscuritates pertrahere simpliciores, in hoc callidiores aut (ne à uerbo euangelico recedam) prudentiores facti filijs lucis in generatione sua. Vir quidam uenerabilis atque apprime eruditus iuxta ac pius (quoniam apud homines optat magis nesciri, quam predicari) dñi animarū adeo multarum iacturā doleret, librum hunc, ceu candelam uere euangelicā, & penes se iamdiu absconditam, non sine multorum hortatu, ne dicam impulsu, pduxit: atq; in medium, ut luceat omnibus qui in domo dei sunt, erexit. Ad cuius lumen, si propius accesseris, si ab animo liuor absuerit, si lector candidus magis, quam curiosus fastidiosusue esse uolueris, si deniq; lucē, quam tenebras, magis amaueris, comperies pculdubio haud ab re candelam uocatā: quippe que ardeat, eo nimirum igne, quem saluator noster uenerat mittere in ter

*Autor  
libri*

ras, & uoluit uehementer accendi. Luceat quoq; nec alie  
unde suum splendorem mutuans, quam ab eo qui dicit,  
Ego sum lux mundi. Recte igitur candela euangelica li  
ber hic uocatus est, qui lucē illam oīm oculis infundit, in  
qua nos (qd' supra dixerā) Christus uoluit ambulare, in  
quam credere, cuius nos uoluit filios esse. Ceterum in re  
tam ardua, tam sancta, tā deniq; necessaria, autor ipse  
neq; persuasionis humane fūco, neq; uerborum uti uolu  
it lenocinio, illum imitatus, cuius amore hunc suscepit la  
borem, qui non in sublimibus humane sapientie uerbis,  
sed simplici nude ueritatis prædicatione mundum con  
uertit, illuminauitq; uniuersum, idq; per homines nō tā  
literatos quam pios. Qui legem quoq; suam, nostre salu  
tis normam (euangelium loquor) aliter atq; humili stylo  
noluit scribi ac tradi, ne quod est nemini nō necessariū,  
non ab omnibus possit intelligi. Accedit quod non pauca  
hic sint, quæ sermonis non admittant uenustatē, adeo ut  
quo fieret literatura politior, tanto etiā efficeretur res  
ipsa obscurior. Autoris autem nostri hic institutum est,  
non uerborum elegantiam auribus, sed ueritatem cordē  
bus infundere, quæ tanto est gratior, quanto nitidior.  
Nulla autē re alia magis enitescit, quam si nuda & ab oī  
fūco aliena pponatur. Accedat igitur huc lector pius,  
abscedat hinc curiosus, quia cādela hæc nisi oculum sim  
plicem candidumq; haudquaquam illuminat. Vale.